

In hisce igitur duabus quæstionibus occupata erit
nostra hæc Disputatio; Quæ ut Divino Præsidio gaudere
possit, cum Ecclesia exclamamus: *Veni Sancte Spiritus!*

THESIS I.

Melioris expedientiæ gratiâ, talem præmittimus S. S.
definitionem nostro instituto inservientem: *Spiritus S.
est Persona S. S. Trinitatis tertia, à Patre Filioq; ineffabiliter procedens,
utrique consubstantialis & coæternus Deus.*

II.

Propositio. In hac se tria offerunt probanda: 1. S. S. Deitas. 2. S. S.
personalis existentia. 3. ejusdem à Patre & Filio ineffabilis
processio. Priora duo nostra hæc disputatio sibi vindicat;
posterius sequenti dispt. reservamus.

De Primo Membro.

III.

Ad astruendam S. S. Deitatem contra *πνευματομα-
χισ*, sequentem ponimus thesin.

IV.

Spiritus S. est VREVS DEVS; quia tribuuntur ei in Scri-
ptura S. 1. Epitheta Divina. 2. Proprietates essentialis Dei,
3. Divinæ operationes, 4. Cultus nulli, nisi soli Deo debitus,
& denique 5. Idioma *ὑποστατικόν*, nempe processio à Patre
& Filio.

V.

Hujus thesæ disquisitio in duo capita revocari potest:
Quorum prius *θεσις ὀρθοδοξίας* confirmandam; posterius
ἀντιθεσις ἑτεροδοξίας confutandam sibi vindicat; hoc po-
sterius disputationi hujus colligij ultimæ committimus.

VI.

Prius nos jam per singula membra ex ipsissimis Israëlitis
fontibus *ἀδαμαλίως* probatum dabimus.

VII. Dixi